

ILLUSTRISSIMO

ET NOBILI VIRO

D. D. JOSEPHO

LIEUTAUD,

IN SACRO CONSISTORIO

REGIS CONSILIARIO,

ARCHIATRORUM COMITI,

Saluberrimæ Facultatis Medicinæ

Parisiensis Doctori-Regenti,

Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socio, &c. &c.

In perpetuum grati animi & reverentiæ Monumentum

Offert, Dicat & Consecrat

Devinctissimus & obsequentissimus

Joannes-Renatus SIGAULT,

Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Medicus.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ ſextâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXV.

M. THOMA LE TENNEUR,

Doctore Medico, Præſide.

An à conceptu ad puerperium genus nervoſum ſenſibilius?

I.



CUM nervi in corpore ſenſûs organa ſint, à vario illorum contextu variâque diſpoſitione præcipuè pendet ſenſibilitas. Hæc autèm major aut minor comperitur, proùt illi faciliùs aut difficiliùs vel ab objectis externis, vel ab ipſis animæ affectibus commoventur. Leviſſimum enim eſt, quod in modo ſentiendi diſcrimen oritur à diverſo ſpirituum animalium influxu; dùm maximum importat diverſa fibrarum nervearum vibratilitas. Quæ vis, nervo inſita & à partium gracilitate, tenſione & elaſticitate unà dependens, fœminis major quàm viris obtigit. Hinc generatim fœminæ acutiùs ſentiunt. In viris quippè tùm propter partium fabricam, tùm propter vitæ genus magis exercitatum, ſuccumque nutritium uberiùs, conſtantiùs, firmiùſque appoſitum, fibræ craſſiores robuſtioreſque ut plurimùm obſervantur; conflatique ex iis nervi, minùs indè mobiles, non de cauſis tam levibus immutationes ſubeunt. In mulieribus verò tùm à naturæ inſtituto, tùm ab educatione, & vivendi normâ nervi fibris magis gracilibus & delicatulis conſtant; indè vel leviſſimo ſtimulo agitantur, & minimâ accedente cauſâ majorem tenſionis gradum acquirentes magis adhùc vibratiles fiunt. Sic facilè eos afficiunt, movent, & perturbant tùm leves externorum objectorum impreſſiones, tùm plurima animi pathemata, quibus viriles nervi inconcuſſi reſiſterent: ſic fœminæ ut plurimùm tactu viſu, olfactu, guſtu & auditu tam exquiſito pollent: ſic, dum mœrent, iraſcuntur, amant, expaveſcunt, &c. tantas mutationes & ſæpè tam triſtes turbas in corpore

experiuntur : ſic tandèm in illis major, quàm in viris, ad ſincopem variosque ſpasmodicos affectus proclivitas. Ut verò à ſe invicem diverſæ mulieres pro diverſâ conſtitutione, ità eadem fœmina, pro diverſis temporibus & circumſtantiis, ſenſibilitatis gradu à ſe ipſâ differt ; nec malè hîc aſſerimus in fæminis à conceptu ad puerperium genus nervoſum ſenſibilius eſſe.

I I.

PLURIMIS de cauſis ſenſibilitas intendi & creſcere poteſt. Cauſæ illæ morales aut phyſicæ ſunt. 1°. Quidem quotiès aliqua affectio inſolita mentem occupat, angit, aut recreat, ſtatim nova quædam in fluido nerveo agitatio oritur, quæ nervos vibratiliores ideòque minimâ occaſione ad ſenſum promptiores reddit. Quid & quantùm morales cauſæ in nervos valeant, exempla paſsim occurrunt. Sic quotidiè videre eſt quales in nervos, quales illorum ope in totum corpus ira, terror, odium, amor, gaudium, mæſtitia, ſpes, anxietas, effectus producant. 2°. Quod ad cauſas phyſicas pertinet, numero infinitæ ſunt, ſed inter præcipuas annumerantur ſanguis abundantior per vaſa ampliora vectus, proindèque nervos magis diſtendens, & ſolito majorem ſpirituum animalium copiam ſuppeditans ; ſanguinis motûs acceleratio & indè per nervos rapidior ſpirituum diſtributio ; præſertim verò hujus aut illius in corpore partis titillatio, vellicatio, eroſio, compreſſio, diſtenſio, inflammatio, &c. Undè ob mirabilem omnium nervorum inter ſe conſenſum, toti nervoſæ compagi major tenſionis & ideò vibratilitatis gradus communicatur. Quid illæ cauſæ poſſint, inter innumera alia, mirè probant dentitionis phænomena, paronychiæ ſimptomata, & lipothymiæ, capitis dolores, variæque convulſiones à ventriculi & inteſtinorum irritatione ortum ducentes.

His poſi.is prædictas majoris ſenſibilitatis cauſas à conceptu ad puerperium in fœminis adeſſe demonſtrandum venit.

I I I.

1°. CAUSÆ quidem morales adſunt. Statim atque etenim aurâ ſeminali fœcundata mulier ſe concepiſſe novit aut ſuſpicatur, diverſis ideis & affectionibus illiûs mens agitatur. Modò prolis naſcituræ dulcem imaginem ſibi fingere amat, & maternitatis delicias jam prægustat : modò de fragili tenelli embryonis vitâ ſecum mœrens cogitat, & ne immaturus pereat tacitè contremiſcit : modò pericula ſibi ipſi imminentia pavidam in mentem revocat, ſæpèque ea ſibi ſollicita amplificat. Creſcunt in ipſo partu metus & anxietas. Succedunt poſt partum gaudium, ſobolis amor, & de illâ multæ ſollicitudines. His autem omnibus dùm anima afficitur, ſpiritus animales commoventur, agitantur, motuque ſuo quemdam nervis inſolitum tonum communicant, indè eorum vibratilitatem augent, & ſic ſenſibiliores eos efficiunt.

2°. Phyſicas etiam cauſas tunc adeſſe patet. 1°. Nempe ſanguis, ſolito per uterum effluxu ſuſpenſo, corporis vaſa omnia magis replet & diſtendit, ſicque novum tenſionis gradum nervis addit. 2°. Sanguine ſpeciatim ad cerebrum refluo ſpiritus

animales copiosiùs generantur, & in nervis toni intensioris majorisque vibratilitatis nova causa fiunt. 3°. Sanguinis motus sive ob plethoram, sive ob quemdam uteri laborem tunc acceleratur, spiritusque animales non abundantiùs tantùm, sed rapidiùs etiam distribuuntur; motûs autèm acceleratio, & rapidior spirituum distributio necessariò ejusdem in nervos effectûs novæ adhuc causæ habentur. 4°. Præcipuè verò sensibilitatis augmentum ab uteri statu pendet, qui primis nempe à conceptu temporibus seminis retenti, sese expandentis, calore titillatur: amico stimulo gaudens leviter convellitur, & ex insolitâ illius impressione continuò ad insolitos motus sollicitatur. Deindè toto gestationis tempore, dum fœtûs volumen magis ac magis crescit, illius mole & motibus nervi uterini indesinenter comprimuntur, distenduntur, omni modo lacessuntur. Neminem latet quantæ sint in partu compressiones, contusiones, distensiones, sæpè etiam dilacerationes, &c. Tandem in puerperio nervi jam tantoperè irritati, tumefactis nùnc, tensis & quandòque inflammatis mammis magis convelluntur.

Cùm autem propter varias nervorum anastomoses inter uterum & omnes corporis partes maxima sit relatio, mirabilisque consensus, quandiù sic uterini nervi stimulantur atque lacessuntur, tandiù cæteri omnes totius corporis nervi quodam sympathico erethismo tenduntur, & ob tonum indè intensiorem magis vibratiles ideòque magis sensibiles evadunt. Quòd verò speciatim puerperium spectat, facilè intelligitur in quantos effectus tunc mammæ tumentes, tensæ, inflammatæ, majoris sensibilitatis novum centrum constituant.

I V.

QUOD è prædictarum causarum existentiâ sensibilitatis augmentum facilè concluditur, illud quotidiana experientia comprobat, & conceptûs, gestationis, partûs, puerperii phœnomena rem demonstrant. In conceptu etenim solito major voluptas, dentium stridor, articulorum convulsio, torpor uterum, quin imò cæteras corporis partes occupans, insignis & subita mutatio mulieribus percepta, dolor ad umbilicum, quædam ventris turbatio, circà ischiadicam regionem titillatio, nonnunquam sincope, totidem sunt sensibilitatis auctæ effectus & indicia. In gestatione idem dicendum est de nauseis, vomitibus, cordis palpitatione, vertiginibus, animi deliquiis, convulsionibus, erraticis partium doloribus, vigiliis, dentium cruciatibus, hemicraniâ, tunc frequentissimis. Idem etiam de horripilatione, spasmodicis succussionibus, ipsis etiam aliquandò violentis convulsionibus partum comitantibus intelligendum est. In puerperio tamdem undènam, nisi ob sensibilitatis excessum, vel levissimâ luce ingratè perstringitur oculorum acies? Undènam vel minimo strepitu læditur auditus, offensumque caput dolet? Cur odores quilibet naribus tàm infensi sæpè graves lipothymias aut funestas convulsiones producunt? Cur puerperæ ob minimos circà cubile motus, & ipsos in cubiculo astantium gressus, ingratè afficiuntur? Cur tandem à levissimo animi pathemate sincope aut spasmi tunc adeò frequenter oriuntur?

Aliundè quemadmodùm in fœminis, prædictis temporibus, morborum species, ità regiminis & therapeiæ genus illis conveniens majorem sensibilitatis gradum manifestè

indicant; sic profectò non illis victus levis, potus tenuis, blanda corporis & mentis quies, somnus placidus; non lenientium & temperantium usus, tam salutares essent; neque illis contraria tantoperè nocerent, nisi in iis locus esset temperandi, relaxandi, proindèque tensionem & ideò sensibilitatem minuendi.

V.

EX præmissis conclusio patet; sed quem ad finem, inquies, fœminæ jam tot & tantis ex suâ conditione miseriis obnoxiæ, novis adhuc, ab exquisitiore sensibilitate pendentibus, in gestatione, partu & puerperio obsiderentur? Nihil profectò natura sine consilio, sine fine disponit. Hîc porrò illius duplex finis esse videtur, moralis & physicus, sive 1°. ut mulieris anima exsuscitaretur, materque sensibilior de prole gerendâ, in lucem edendâ, educandâ, conservandâ efficaciùs curaret: 2°. ut ad partum faustum & felicem vires præpararentur. Pleræque nempè mulieres tanto operi impares forent & immensos uteri musculorumque abdominalium conatus minimè ferrent, nisi nervi, a conceptu sensibilitate auctâ, ad tantum laborem promptiores & aptiores redditi fuissent. Contrà verò juvante illo sensibilitatis augmento, mulier vel debilissima, dum parturit, herculeam sanèque stupendam virtutem exhibet. At passim obviæ sunt prægnantes, parturientes & puerperæ, in quibus sensibilitas minima apparet. Esto quidem quod sensibilitas in omnibus non æqua sit: hæc quippè pro variâ temperie, diverso regimine, diversisque locis & circumstantiis differt. Quinimò non nullæ reperiundæ sunt mulieres, ob phlegmaticam frigidamque constitutionem, laxamque texturam, ferè sensûs expertes. Sed sufficit, si in hisce mulieribus sensibilitas, quæcunque sit, prædictis temporibus tantisper augeatur.

Ergò à conceptu ad puerperium genus nervosum sensibilius.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Hugo GAUTHIER, Consiliarius Regis Medicus.

M. Ludovicus-Gilbertus BORROT DE JONCHERES.

M. Carolus SALLIN.

M. Simon VACHER, Regis exercituûm in Insulâ Corsicâ Medicus Primarius.

M. Cosma-Augustinus LEZURIER.

M. Nicolaus JEANROY, Bibliothecæ Facultatis Præfectus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius

M. Carolus Ludovicus LIGER, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in urbe & Comitatu Altissiodorensi.

M. Joannes Stephanus GUETTARD, Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socius, Censor Regius & Historiæ naturalis Musæi serenissimi Ducis Aurelianensium Custos.

M. Natalis-Maria DE GEVIGLAND, Regiorum in Germaniâ Ducum & Militum Nosocomiorum nuper Medicus.

Proponebat Parisiis JOANNES-RENATUS SIGAULT, Divionæus, Doctor Medicus Andegavensis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor. A. R. S. H. 1775. à sextâ ad meridiem

---

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.